


POMVM AVREVM

In lance aureæ Libertatis

LVDOVICÆ MARIÆ GONZAGÆ

Niuersi & Rhetelensiũ Principi

VLADISLAI IV

Poloniæ & Sueciæ Regis Potentissimi

PERAVGVSTÆ CONSORTI

DIVINITVS OBLATVM

Festo ac solenni suæ Inaugurationis Die

EIDEMQVE

MAIESTATI SERENISSIMÆ

Inter publicos Gratulantium Regni Ordinum Plausus

REPRÆSENTATVM

Idibus Iulij.

Andreas Kanon Scriptum

ANNO REGNANTIS à LIGNO DEI.
M. D. C. XLVI.

CRACOVIÆ,
In Officinâ Typographicâ Christophori Schedelij,
S. R. M. Typographi.

De benedictione Domini terra eius, de POMIS CÆLI, & de POMIS fructuum SOLIS ac LVNÆ. *Deuter. XXXIII.*

-- Et Honos erit huic quoq́;
POMO.

Mantuanus Vates
Eclogâ 2. ♈. 53.





AD SERENISSIMAM LVDOVICAM MARIAM Polonorum & Sueciæ Reginam, AVSPICATO INAVGVRATAM.



Orrectum Tibi diuinitùs, non proiectum à Fortuna POMVM, existima Inaugurate Niuernensium Sanguis AVGVSTISSIMA LVDOVICA. Non ita prodiga est illa hera, vt aureos proijciat regni fruct⁹: eripere facilior quã offerre. In Te verò benefica qui esset? quam nec comitem ad regnum habere, nec prodromam voluisti; inuidam aliis tibi etiam subiratam, vel eo nomine quòd Tuo eam excluseris comitatu, interdixeris Gynæceo. Nihil in Te fatorum potestati permißum est, posteaquam Aeternitatis orbem in POMO AVREO adumbrasti. Luserit hactenus in capita Principum leuis Dea, desistet ludum ludere insolentem sub Principe LVDOVICA. Fregiße vitream, contumacem domuiße multis contigit, fallacem elusiße Vni quòd sciam LVDOVICAE. Circumspicite vos in spem geniti Libertatis, acta sub iugum Campi Domina, ex quo campũ Poloniæ adiit Campestris Heroina. Fortunam in manu gerit VLADISLAVS, tu simulachrum fortunæ. Discant ex Te Ciuibus imperare, quicunque,

Partiti versant populorum Fata, manuque
Fortunam fecêre leuem

eodem & videndi in solio & ridendi. Canet Palinodiam Sors & Casus MARIAE moribus eruditi. Nomen hoc fatale est & vicibus & vitiis. Quicni autem Volubilem sortis aleam Tuo inflecteres arbitratu, quæ libera mentium arbitria Tuo Honori inclinasti. dum enim nostris morem gerimus desideriis, Tuæ volentes obsequimur maiestati. Verè flexamina Princeps! quæ

eodem temperamento animos moderaris, fortunam cöerces. Et fuit hoc quidem facilitatis ac indulgentiæ Tuæ, ne procul à solio abeßemus; adeoq; auspicatissima inauguratio Tua recentem crearet Apollinem, subitos inaugararet Oratores. Itaq; Gonzaganas suspicimus AQVILAS, mores in Te cum Maioribus veneramur, Solii vel vmbram colimus, diadema adoramus; cæterùm POMI dulcedine capimur, fulgore perstringimur pariter & inuitamur. Sceptra & Coronas versare, felicioris ingenii negotium est. Magnæ Maiestatis tractatori cōmune cum Scrutatore periculum intercedit ne succumbat. At quàm indulgenter cùm spargeres in publico beneficia, POMVM in nos AVREVM proiecisti; vt quod antea Basilicis* Gratiarū manibus tractatum est, idem eruditis Musarum digitis contrectetur; metuentium solicitè, ne cùm diuturno Maiestatis vsu iam splendescat, impolitâ styli asperitate deteratur. Ita ne longè exquiramus, vltro ad nos aureum deuoluitur argumentum. Magnifica aliorum fames ambitioso gaudeat apparatu, Religiosæ parsimoniæ satis POMVM. E Minimorum Collegio Ciuium cùm simus, grandioris congiarij vix egemus. In fastos humanæ felicitatis relaturi, si Aureæ Libertatis primum fructum votis & calamis regustemus. Primas Honori Tuo mensas occuparūnt Primi, quibus, vt præirent, non animi plus inerat sed fortunæ. futuri & nos non vltimi, si quantùm desiderij, tantùm & facultatis habuißemus. Nostra nos pauperies reiecit ad postremos, non voluntas, aut religio erga Reges. Neque tamen idcirco prohibemur, quin facti ex paruo vectigales, Bellaria quod vnum superest, inauguratæ apponamus Maiestati. Dignum illa Tuo Honore opsonium, nisi de Tuo impertieris non inueniet. Artaxerxes cùm malum Punicum solitò grandius à quopiam oblatum humaniter accepisset: Per solem, ait: ego eū, vrbē, si parua data sit crediderim citò amplā redditurū. Quātò hæc aptiùs Rex ille Nostræ Principi tribuisset; cui nihil tā mediocre obtuleris, quod ad suæ geniū altitudinis non attollat; tam obscurum quod vibranti radio non accendat. Nascatur ille sub malo Punico ad malum publicum, Tu auream Aetatem AVREO polliceris in POMO, non acinos conseruante sed Ciues. Fruere interim aureo hoc Felicitatis Tuæ auctario fortunatissima Gonzagarum. Destinata Aeternitati, cui non aureo Aegyptiorū circulo sed POMO AVREO prælusisti, illud ipsum secuturis ex te Nepotibus (sed serò) porrectura.

*Tres Annæ Polonorū Reginæ.

ITA SVÆ ANNVIT LVDOVICÆ, TVVS ET NOSTER LVDOVICVS.

B. Aloysius Gonzaga, Soc IESV.

Adeste



ADeste Liberi quotquot estis
MATREM PATRIÆ CORONAMVS.
Cælo accessit AVSTRIACA
Vt Sceptro succederet MANTVANA
Liberis vocata suffragiis

Quia ad Regnum Libertatis.
Nascuntur alibi Principes, hîc leguntur.
MVLTVM INTEREST
Sortiatur quis an eligat Regnaturos.
Nascendi sortē Regibus non præripimus
Nostrâ etiam gloriamur.
Natura Reges inchoat non absoluit.
Magni Sanguinis magna successio
Sed maior Meritorum.
Non sola euadis ad Solium
LVDOVICA
Orbis de Te iudicia tecum trahis.
Nunquam solitaria minùs est Maiestas
quàm Fortunæ arbitris manu-missis.
Ad regnum quæsita es extra regnum
Vt patriam extra patriam inuenires.

Natale est omne virtuti solum;
Nusquam illa nisi domi suæ Coronatur.
SCEPTRVM
Quo fulcis Poloniam
Fragile ne suspiceris,
Ipsîus [d] CONSTANTIÆ manu temperatũ est.
Idem leue ne crederes,
Iam olim pondus accepit
A manibus VLADISLAI.
Longas esse Regibus,
Nostro etiam graues manus
Didicit leuitas perduellium.
SCANDE IAM
AVGVSTA Sarmaticum AVGVSTALE
Vel per vota subditorum vel per colla.
Quanquam
Ne Ciuium colla calcares
Victor prouidit VLADISLAVS;
Dum
Pro Solii gradibus
Capita supposuit Tyrannorum.
Calca fastus barbaros, Lunæ insistens Othomanicæ:
Fatale est, lunas obteri à pedibus MARIANIS.

[d] Constantia Austriaca.

SERE-



SERENISSIMÆ LVDOVICÆ MARIÆ GONZAGÆ Polonorum & Sueciæ Reginæ

Magnis ad magnam Gloriam progressæ itineribus

FELICITAS CORONATA.



Aturum Honori Tuo, quia nec Tu Honori immatura, POMVM carpe Fortunatissima LVDOVICA. Aliter gloriosa laudum fames non expletur nisi depromptis ab Honore alimentis; Tributarius ille Virtutis Tuæ cùm esset explorauerat omnem aditum, si quo pacto ipsam Fatorum Præsidem Tibi redderet Vectigalem. Et personuit illa tandem fragore catenarum, quæ catenatos traxit ante currum Reges. Verè solers, & lynceus in vtramque partem Honor! quòd & publicis morem gesserit placitis, & Te ad honorificam Sarmatiæ deditionem inclinârit. Nondum tamen recessit in statiua. nouis gloriæ stipendijs locupletatus, acriorem adoritur aduersarium, si monstra desint honorato Herculi, at non astra. Quæ ad expugnationem sortis accinxerat, opponit immortalitati latera. Non Annibal ad portas est; neque de pace Pyrrhi agitur. Belli causa es Heroici, Lauinia Mantuana! vel ideò Victori Populo destinata, quòd præuium Tibi Merita certamen ediderunt. Desudant pro Te hoc in agmine colliquentes ad splendorem ceræ, neque Regum genus tantùm, & genius; Verùm ipsa regni decora, SCIRPVS LILIIS, Aquilæ Aquilis fœderantur; ipsius de Te cæli iudicium, si ita opus sit consulturæ, Honori concredita Perennitati reseruaris. Li-

uaris. Li-

uaris. Liberrima hæc captiuitas, nisi Tui pretio non redimitur. qui certantis de se Famæ exercitu nititur, armis inclinare Sceptra, non magnoperè allaborat. Capax Heroinarum regio Tuis angusta Meritis ne esset, magnam oneris partem ad Aras, & Capitolia Sarmatiæ deposuit. Vbi Equestrem Domitiani statuam, Rhenum calcantis, eo superas Titulo, quòd, ad solida regni subsellia figis pedem. Sentit Regia Curulis cui succumbat. Veterum se Heroinarum imaginem gestare arbitratur, quia quot radios, tot in retro-acta magnanimitatis delubra Vmbras proiicis. Inter felicitatis nostræ omina reputamus, quòd è collisâ armis Galliâ Pacem tamen aduexeris Ipse ferri strepitus hilarem Tibi cecinit Hymenæum. Illi videlicet seruabaris, qui sibi pridem ante cùm fecisset ad superos Vi & armis Viam, hoc demum egit, vt supremam trophæis impositurus coronidem Te vocaret ad Coronam, Domitor Septemtrionis VLADISLAVS, haberetque in quam regni decora, Senatûs Procerumque Vota & expectationes inclinaret. Excurre campestribus Olympiis Niuernensium Ducum sanguis. Regnum quod occupas bellatrice Amazonum fortitudine afflatum est. Tot æmularum cineres calcasse, sufficiet ad triumphum. Cessisti optabili Europæ suffragio, non quòd metueres, ne pyramidum fastigia declinanti præceps accideret ruina, sed ne Illustribus Reginarum oraculis fides tardior eueniret. Lugubri deiectis funere Procerum vultibus, concolor Soli Maiestas debebatur, quam Vix oculis permensi sunt, illicò gestientes animos erexêre. Premis & calcas humanas Vices verè Seria LVDOVICA! Nam & assilientibus vndequaque Fatis armatum constantiâ pectus obiicis, & pleno Maiestatis supercilio blandientem respuis Fortunam. obtrudebat illa quidē (vt pronum est mortalibus diuinare) sceptrum, sed vt aliis eriperet, futura Voti compos, nisi in Te incidisset, nolentem regnare priusquā rogareris. Non ignara suspectum esse imperium, ad quod calle iniurioso peruenitur. Ecquid autem deberes pedissequæ, quod olim Tua Tibi dignitas, & suppar animo indoles destinasset. Quanquam Tu iucundam reposuisti Fatis vicem; non in homines tantùm benefica, sed vel in casum liberalis, dum fata & occasus Austriacæ instaurasti. E cineribus Cæciliæ spes Renata. immò ne quid ad prodigium deesse videretur, inscripti Nomina Regum flores, vix non è tumulo eruperunt. Cedat nisi frangenda dedecori suo consulit Saturnia falx Scytharum, flos hic non Spinarum sepitur munitione, sed lacertorum, nec tam oppositu hortorum defenditur, quàm armorum. Deesse illi rubor non poterit, extortus ab Auroræ Verecundia. Consulatum Vatinii, nulla Veris vel Autumni Æstatisué aut Hyemis vicissitudine distinctum risit Roma: vt veriùs Tuæ gentis insignia Temporum iniurias igno-

rias ignorant,ita certiùs florentem Reipub.perennitatem ominantur. Cætera popularium auguria vix impressis elabuntur vestigiis,Tua vberiore sese explicant prouentu, quàm polliceretur spes euentûs. Nunquam excident prodigiosa illa triumphalis lætitiæ tonitrua hibernantibus adhuc Ventis tanquam classica Superis data; vt non immeritò purpureum Ver tardauerit Vernãtibus iam in Polonia LILIIS. Admiratione defixi constiterant Astrorum ignes, planetarum Arbitro subuerente, ne frustra natiuum porrigeret fulgorem, vbi iam Albi regnarent soles. Diuinum quiddam est Præsentia Tua, quæ celeriùs squalorem ademit Sarmatiæ quàm LVDOVICO SEVERO Brabantiæ Principi,nox atrata seniles inuexit canos. Conflixerat cum expugnatoribus Corporum Morbis Regum Terror VLADISLAVS, securus Victoriæ, quam suo haberet in sinu. An enim domesticus ille hostis diu Polono luctaretur cum Alcide? cui ad sternendum aduersarium, vt abessent armamentaria, Hippocratis myrothecium satis fuit. At enim expauerat humana æstimans vulgus, ne illa quæ fractis nubibus eruperat, tristiùs obrueretur Serenitas, sed obscurari haud poterat, nouæ interuentu Maiestatis. Elusa est Fatorum temeritas. patitur Polonia duos Soles. Magno Lucis impendio opus est in regno Serenissimæ LIBERTATIS. Dubitasset anceps Fortuna, quâ Te Cæli parte stellis insereret, sed in cõsortium Soli oblata es VLADISLAO. ad inuidiam quidem Pyreneorum, eodem quo regnum passu, cælos peteres, nisi magnum Reip. corpus magnâ Mente eguisset, emortuum Fato CAECILIAE, Tuo rursus animandum. Ferunt accensum pridie cometen quã extincta terris, cælo Cæcilia inferretur! Et sanè tragicam illam scenam vultu omnia serenante spectasset VLADISLAVS,nisi æmulus cæli esset: iudicaretque succesuræ Consortis decorũ auro caput fatali astro ad inuidiam opponendum. Ergo lugubris ille fatorum internuntius regni cladem edixit, quam ne diutiùs lugeremus Mantuanæ imputamus Auroræ, quæ exhaustis latè nebulis tantùm splendoris natalitij Poloniæ impertiuit: quantùm ad inuehendã orbato orbi lucẽ satis foret. Perge GONZAGA Liberis Auibus, quia Polonis, quò Te Tua Virtus promouet. Vexerint superbæ Aues Iunonem, Leones Cybelen, Tibi Aquilæ destinantur, seu Mantuanas malueris, seu Polonas. Tuis vtrasq; auspicijs intentas, post apotheosi etiam seruituras. Diu pertinacem Competitoris auri ambitionem, alto aspernabâre supercilio: neque tamen effectum à Te est, vt aurei Arietis cessaret oppugnatio, quæ ipsa Tui dissimulatione alebatur. Ambigebat superba metalli iactantia Tuæ frontis Maiestatem, vt ambiret. Et quemadmodum coronatus Regum apex, publicæ est incolumitatis propugnaculum, ita Vicissim Fides Populorum, optimæ(Cy-

mæ (Cyri effato) excubiæ, Principum ſecuritati admouentur. Nuſquam ſecuriùs Maieſtas, quàm in ſinu Poloniæ obdormiſcit. Cui enimuerò auguſtum felicitatis Tuæ in publico ornandæ munus obtineret, digniùs, quàm aureæ LIBERTATI? Exteris Principibus non adimere, ſed offerre diademata Polonum eſt. Et iis prætereà offerre manibus, quæ cruentas Thracum Lunas inter ſpolia dilacerant, vtiliùs quàm olim conuiuantium circuli ſecundis illatam direptamque menſis Carthaginem; facturi è re ſua ſi non illã Hymettiam, ſed ſtudiis aſperrimam bellicis laceraſsent, nati ad bellaria non ad bella.

Campeſtres benè Sarmatæ

Campo bella gerunt

ad congreſſum aptiores, quàm conſeſsum, debellaturi ſed non ſuper menſâ Alexandrum. Quid Tu Pacis arbiter VLADISLAE? quo nemo vel bello ſecurior, vel pace felicior ad prodigium vſque fuit! quàm ſæpè detractis Fortunæ armillis inſigne Regium inauraſti. Meruiſſe coronas generoſæ. conſeruaſſe magnanimæ. contuliſſe beneficæ indolis eſt. Aurea toties ferro compoſito ſæcula feciſti, eadem nunc in Conſortis capite repræſentas. Arcem conſiliorum, aurum petit. in tuto futurum, ſi ad elaboratam ex auro Mentem peruenerit. Impar tamen eſt auri fulgor Tuis Virtutibus MANTVANA. Non erubeſcit ab ijs flagitare ſuppetias claritatis, quibus ritu ſimili Honor ceruices acclinauit. Diuiſum cum Ioue imperium Domitiano ſors fecit, Tuum coniunxit cum Numine VLADISLAI. Coronas aliorum capiti leuiter impoſuit, vt leuiùs detraheret, ſceptra inſolenter dedit, vt adimeret cum dedecore. Maximè decora eſt illa purpura, quam regnandi abſtinens colorat verecundia. Capacem felicitatis manum ſceptro admoue Feliciſsima MANTVANA. Adorent ridiculam Vulcani diuinitatem in ſceptro, ſuperſtitioſi Cheronenſes, commentitiã religionem à Principum ſolio remouemus. haud ignari manus Regias Diuinitati eſſe finitimas, vt quæ vbique ſuam vel inueniant fortunam, vel effingant. Nullo meliùs in regno ſecuritas dominatur, quã vbi Iagelonum ſceptra, Pacis Interpreti Columbæ perennem fixêre ſtationem. Ominatur Septemtrio tantùm ſe tranquillitatis habiturum, quantùm in ſceptra Sarmatiæ Venerationis. Firmius id Ancile eſt, quàm quod Veſtæ excubiis continebatur, quo ſaluo, ſalua Romanorum Vrbs euaſit. Terrorem incutit dum vibrat maieſtatem. Patere interea CORONATA Polonorum FELICITAS cum Pomi Aurei, Ramo Aureo, immortalem laurum auguſta inter inſignia Tibi porrigi; a ſpectabilem orbi datura metamorphoſim, Lauro in Aurum tranſeunte.

AVRE-

AVREIS REGVM ANIMIS

Æterna cum Auro Metallorum Principe necessitas intercedit. Vestra vobis offerimus Principes, dum à Vestris mutuata Insignibus POMA AVREA *Venerabundi redhibemus. Frustra vitem auream gestat Xerxes: Aureâ temulentus fortunâ, ebriam non faciet Fortunam: quæ vitem ei porrexit vt vitam eriperet. Cæterùm, torqueat alios auri Sacra fames, nos Tantali veriores,* POMI AVREI *aureo exercemur tormento.*

O D E I.



Egale Regum Mentibus Aureis
Debetur Aurum. duplice personet
Fortuna quantumuis metallo,
Æris, & asperitate ferri.
Inuicta mucro brachia, Martium
Decetque conus non coma Verticem,
Thorax lacertos. At Liburnis
Montibus ambitiosiorem
Natura glebam Regibus eruit;
Quæ frontis altam pyramidem petat,
Quæ vincat armillas, & æquo
Circumeat diadema gyro.
Sortem Potentes in manibus gerunt;
Quos vel Coronæ nobilis ambijt
Æternitatis æmulator
Circuitus, vel Honoris Aurum.
Tibi ô vetustæ Gloria MANTVÆ
Inauguratis Lechia Regibus
IN LANCE LIBERTATIS AVREÆ
Porrigit Imperiale Pomum.
Et iam prehensum Regificâ manu

Augusta Lucis fulgura duplicat,
Auctoq́ue certatim Sereno
Trans Asiam Libyamq́ue,binos
Dispensat ignes. Thracia cominùs
Euerberandas Cynthia palpebras
Reflectat. Est pomum Fenellæ
Hìc etiam,iaculis refertum!
Quod non auaris Hesperidum plagæ
Excreuit hortis. quod neq́ue Tartara
Scrutatus Alcides petîsset,
Tænario neq́ue ductus antro
Fumantis exul carperet Ilij.
Aurata Lechis, ferrea Thracibus
Portendit argumenta Sêcli
Non sine Concilio Deorum.
Te, grande Pomum! non Draco peruigil,
Centum nec Argi lumina sepiunt;
Sed Ciuium tranquilla virtus
Perpetuâ statione seruat.
Qui Sceptra sæuis protegit arbitris,
Timet timentes. quæ pepulit metum
Secura Maiestas, quietâ
Collocat excubias in aula.
Sed Regiarum est hæc nota Mentium
Patente curas pascere Publico:
Et in secuturis Nepotum
Viuere, vel meritis, vel armis
Sceptrumq́ue eâdem tradere dexterâ
Post nascituris, quâ licuit geri.
Carpant INAVGVRATIONIS
POMA, Tui LVDOVICA Nati.

Impa-


Mpatientes limitum Coronæ, dicendi limitem non admittunt AVGVSTISSIMA REGINA. Nec eget gloriæ temperamento, diuina morum quam in TE suspicimus, moderatio. Erant qui trophæa Milthiadis experturi obscuris diem noctibus permutarent; nescio enim quo pacto lucubrata vigiliis gloria limatiùs enitescit, adeoque gratior accidit fama operosis diu decoribus innutrita. Habet tamen quiddam regium nobilis labor, quòd quemadmodum

Paucæ sequuntur
Innumeras Aquilæ Columbas

Vno certamine ingentes laudum copias sibi vel deuinciat vel deuincat. Nemo ante arripit palmam quàm gladium. Graue titulis nomen Mars imponit. Frustra Principes, Vrbium Capita nuncuparentur, nisi aut cæsorum in acie capitum aceruos calcauerint, aut manubiis hostium Capitolia implerint. Dicêris meritò PERAVGVSTVM Regni caput SERENISSIMA LVDOVICA Cui hostium nutant capita dum nutant VLADISLAO. Excessisti Zenobias & Semiramides, alteram Palmyriensibus verè palmarem, alteram Babyloniis imperantem. nunc verò Illustre siderum iubar extinguis. Celeriùs claritatem inuexisti Poloniæ, quàm Sol Orbi diem. Ille quidem nunquam terris exulat, inuoluit tamen persæpè obscuratque supercilium, TIBI idem fulgor, & quamuis è propinquo, maior TVI intenditur Veneratio. Vitrea Fortunæ effigies Tui operis artificio solidior euasit, & quæ Apelleâ manu sedens fingebatur, TVI metu stare cogitur. Nullam admotis belli machinis Vrbem quatis, Ciuium tamen obsidere pectora non cessas. Itaque dum Obsidionalem mereris, Ciuicam accipis, in promerendis insignibus expeditior, quàm laborantium ingenia artificum in fingendis. In Daphnidis abiuisse (ipsis prope è laureis cõflata) videris simulachrum. Nõ absque felicibus euenit Auspiciis, quòd Imperii clauum exceptura, Vrbem Famâ, portuque celebrem adieris. Nihil pelago fortuitorum capacius: ad eius tamen littora tranquillam fixisti stationem, altera nauigantium Pharus. In publico gentium Emporio experiri, quanti æstimareris Voluisti, Sarmatici Regni pretio & votis Ciuium redimenda. Scies remoto coniectore, non fugacia Tantali poma Tibi porrigi. Vltoris inferi figmenta iis rectiùs attexantur Principibus, qui reâ dedecoris ambitione Thebanum in morem, posteris adimunt regnandi potestatem. Sæpè tumidis palatiorum in lacunaribus, ad speciem globi aurei instabiles fata efformant

mant pilas, eodemque Stylo paries, & sceleratus notatur Princeps. At in hoc aureo Fortunæ orbe, veluti carceris ergastulo constricta includis fata. Alienis imminere dispendiis non vacat, quem sua torquet acerbitas. Et publica odia priuatus explet dolor. iniicere compedes Hellesponto præceps impotentia Xerxem impulit, obstringere vinculis Fata, TVA persuasit Fortitudo. In vnico Pyrrhi vnione lyras & nomina Musarum, in Tuo signifero æternitatis POMO ordinatissimam Pythagoræ lyram, mundum perspicimus exsculptum. Eò magnanimitas TVA mobilem sortis rotam coëgit, Ixioneas illicò in fabulas abituram. Ecquid autem casûs ruinam formidares, ipsis imperare periculis non ignara. Omnem Honoris commeatum exhausisti, nihilque superfuit quod TIBI offerret Honor, Regalis POMI obsonio, nunquam infracti vigoris, quia nunquam non Poloni. Vsque adeo Elysii horti immortale POMVM, primæuæ felicitatis æmulatrix TVO adumbrasti in Regno. Excitetur quantumuis aureo colore Taurus Libyæ, (quandoquidem omnia quæ ad rabiem Natura composuit, quouis metu percelli necesse sit,) collisi tamen franguntur impetûs antequam frangant. Arsisse Vrbem Bizantinam haud pridem ante accepimus. Arsit videlicet non flammis sed pudore; postquam Sarmatiæ securitatem erubuisset. Vno lapsu & admiratio & metus oppressit irruentem Scythiæ ductorem, vt qui ne nomine pollicebatur integritatem, TVI perculsus Famâ, integram relinqueret Lechiam. Fortunatius censuerim Imperium, pro quo hostes belligerant, quàm quod patriis tantùm recumbit in lacertis. Disceret captiuus oriens libertatem, si à libera gente regeretur. In Moscho nihil aliud punire barbarus vlciscique voluit, quàm quòd non eosdem erga TE cum armis animos induerit. Seruile gentis ingenium, dum electo quondam negat Vectigal Imperatori cedit in spolia Musurmanno. Colligat ingrata natio sparsas toto orbe iras, pedestribus fidentem fugæ suppetiis Scythiam inuestiget, nemini incussura formidinem, donec Polonam induerit mentem. TIBI interim nata ad Fasces & Fastos LVDOVICA ruinæ populorum aggeris instar sunt. Hàc perges quà TE diuinior inuitauerit Apotheosis. Vt nec sine prodigio omnis in TE sita sit bonorum acies, vel nomen in TE reuerita MANTVANVM. Quid illa residens, innubi vultu Maiestas? turbinum Reipub. terror est: quid concolor cælo Serenum? quid gemina oculorum astra? non intermorituram promittunt æstatem: Quid castigata ad splendorem facies? clarissima Principum fax, flammam hosti, lumina profert Patriæ. Insolens videri non debet, quòd supplex honorum agmẽ TIBI accidat, plus à TE percipit quàm confert ornamenti. Tunc primùm decorum, cùm TVA illi decora impenderis. Ipsum illud Regum Bel-

gum Bellarium, non citrà magnam pulchritudinis euadit accesſionem. Erudiebat antea Reges, nunc à TE eruditur. Tantùm illi dulcedinis inſtillaſti, quantùm perceperas à virtute. Multum enim debet Clementiæ TVAE. quæ magnarum præcipua mentium laus eſt. Sæpè quòd ſeuerior amiſit, lenis extorſit animus. Nulli faciliùs victoria cedit quàm lenitati. Ramos aut folia ſine fructu gerebant triumphatores: quercu aut oleaſtro, aut vittis palmaribus, viri palmares coronabantur. Ampliùs eos potuiſſe creſcere ipſa præmia deſignabant. TVAE verò virtutes, POMO AUREO inſigniuntur. Tam amplæ, vt in obeliſcos excreſcant. Quin & oculum vniuerſi æmulata, Regni exordium auſpicata es, cùm plenior dies auſpicatur ſuum. Magnis voluitur fluminibus Felicitas TVA, ſed non niſi Nili fæcunditatem refert, beneficentiæ quàm gemmarum feracior. Exundas in ſubditos munificētiùs, quàm anguſta mortalium pectora poſsint capere. Acriori ſtudio cui conferas beneficium, quàm alii hoſtem, perquiris. Solius memor vbertatis latentia rerum Semina non veſtigo; minas & iurgia bellorum non vacuus præſagit rumor. Sed auidæ pugnarum tubæ inter triumphos conticeſcunt. Diſpar eſt Ciuium, & Militum ſonus: at ſi *Ingens bellum animis alitur, bellum intonat ore* eadem dextera ſteriles hoſti ramos porrigit, quæ TIBI POMVM Aureum. Barbaris Hymetti Ciuibus nihil pernicioſius LILIO TVO. Vocem Pyrrhi exprimet ferax victoriarum, gladius VLADISLAI: facilè Orientem frenis exſolui poſse, aut ſibi Polono exercitu, aut ſe Rege Polonis. Nulla auſpicaciùs ineuntur prælia, quàm quæ ſibi commilitones adſciuêre Superos, Ducem DEVM. Sed antequam belli claſsica, & cantûs Martii increbreſcant, Muſæ loquantur mitiores.

SIc totum gladiis poſtquam pacaueris Orbem
Septem - belligeri Rex VLADISLAE - Trionis,
Te meritis inuolue Tuis. Vis improba ferri
Diſcordes agitet terras; finisq́, peracti
Sit gradus alterius ſemper non Meta duelli.
Tu mundi titubante ſolo, dum ſæua malorum
Ignorat Libitina modum, fæcundaq́ pugnæ
Iurgia ciuiles variant ſine laude triumphos:
Tu Patriæ Superisq́ litas. Tibi fata quot - annis
Parturit Alcyone tranquilla ſilentia pacis;
Quam neq́ turbo minax Dolopum, neq́ perfida Moſchi
Vexet Hyems, non Vrſa ferox, non Thracica Phœbe,
Dira vel Euxini raptet violentia ponti.

INAVGVRATÆ
POLONORVM ET SVECIÆ
REGINÆ.
LVDOVICÆ MARIÆ
E Templo Honoris redeunti
Publicâ Patriæ voce conclamatur:
AVREVM EST
Quod prehendis POMVM,
Et vt aureum non eſset, tu faceres
Verè Aurea LVDOVICA.
Viderit in Te concolorem Auro Animam Plato Lynceus,
Nos manum Diuinæ propiorem.
Vix tetigiſti Poloniæ Sceptrum
Cùm auream regno faciem induxiſti.
Expulſa orbe orbitas eſt.
Cinis RENATÆ animatus
Ferrea in Thraciam ſecula expedita.
Stipem à commentis non poſcimus
Quando tam magnificè Midæ fabulam refutaſti.
Debeant aliæ Pomum Aureum Paridi
Tu Virtutibus Tuis Virtutes cælo debent.
Detur alibi Regnum Pulcherrimæ
Hîc Digniſsimæ.

Fragi-

Fragile vehiculum est ad regnũ Venustatis
Deserta ab animo Pulchritudo.
Violentum Formæ imperium est:
Adeoq; soliûs naturæ tenuis habetur dos
Nisi augescat ærario meritorum.
TV LECTISSIMA REGINARVM
Etsi mundi suffragio caruisses,
Vniûs Tibi suffecisset iudicium
VLADISLAI.
Qui, vt constaret orbi, quanti te faceret,
Tuo vniûs in Capite
Tot Liberæ Gentis placita CORONAVIT.
Veneratus pariter & suã in Te Maiestatẽ est
Dum sic subscripsit Tuæ.
Inæqualis magnarum mentium consortio vix accidit;
Aut si quando accidisset
Illico se ingenitæ magnitudinis componerent ad exemplũ.
ITA
Heroicæ Virtutes
Heroibus tantùm nubunt,
Cum Heroibus
CORONANTVR.



E POM-

POMPA
Regiæ Inaugurationis
Ad lyram Decantata.
ODE II.


Rbes? an Orbis certat? Ad integram
Felicitatem magno opus vrbium
Eſt apparatu, nec minore
Numine. Magnanimiſq; magna
Sors deſtinatur, queîs proprias Honor
Armat Phalanges. Te IAGELONICI
Auguſtal immortale Regni!
Te Proceres LVDOVICA ſpectant!
Videmur! agmen truditur agmine;
Adduntur arcûs arcubus. Euenit
De nube Fatorum refractâ
Clarior imperijs imago!
Siniſtra Sortis quicquid ademerit
Dat dextra rurſum. Non ita Dardanus
Prorupit aduentante Paſtor
Ad Phrygias Helenâ Carinas.
Minore plauſûs excita claſsico
Tempe, marinis cùm Thetyn oppidis
Proſpexit acceſsiſſe Peleûs;
Ancipitem pepulêre luctum.
Vt gratulantis caſtra Poloniæ
Stetêre circûm. Quidlibet aureum
Eſt MANTVANA, laureumque,
Quod premitur moderante Sceptro.
Midæ erubeſcit dextera, cùm Tuæ
Vibrant coronæ. Velleris aurei

Non Ar-

Non Argonautis ampla debes,
Sed Lechico ſimulacra Regi.
Qui bellicoſis Colchida paſsibus
Peruaſit, ipſo maior Iäſone,
Hebrumq́ue, Pontumq́ue, & cruento,
Diluerat Mareotin amni.
Cælo propinquis fulta curulibus
Euade Princeps ad Capitolia,
Tecum coronetur Satelles
Fama, tuum comitata regnum,
Factiſque faſtos, ſæcula Temporum
Capace ſerto magna Rhetelij
Heröis imple. Sola grandes
Non capiunt Animos metalla.
Infanda quanquam vota Caligulæ
Damnas, Quiritum qui cupijt necem
Ceruice complecti ſub vnâ,
Ne gemino peteretur ictus;
Septem-Trionis colla tamen ſupèr
Figis coloſſum. Terror Achaiæ
Qualem VLADISLAVS Chocimi
Ponè Dacas ſibi fixit arces.
Effulgurantem quà nequeunt globum,
Globi ſed Vmbram Sidera porrigunt.
Sic Te per extremos volantem
Oceanus Veneratur Orbes.
Oraculorum non eget Arbitro
Clamore, quiſquis conſcia gloriæ
Poſtquam paludamenta Regum
Induit, exuerit tumorem.



Naugurationis Tuæ ſplendor AVGVSTISSIMA REGINA, lucem intendit Sarmatiæ ad Amorē pariter ac terrorem. quatenùs intorquentem oculos Aſiam exurat feliciùs, quàm Prætoriam Claſsem Syracuſani Cryſtallum Archimedis: Romanum ille cinerem pelago miſcuit, hæc cinere paſcetur Bizantino. clementior tamen radius Tuæ frontis; dum Cenſorem percellit oculum, peruadit animos. Primum Tibi negotium ô Princeps deuincere ſubditos, quorum ſubacta nutu pectora deducis in triumpho: ita tamen vt captiuorum inclinatione Arcum non flectas triumphalem. Idem lacer & lacertoſus hoſtis vix proruit ſupplex, cùm Cynegyri morſus cogitat, qui vtrâque ademptâ manu hoſtiles, admordit naues. non eâdem prolapſione impatiens vinculorum ira, quâ corpus expugnatur. Et inter proiectos in terram lacertos robuſtior adſurgit audacia. Nobilium at verò Mentium acclinatio mites Tibi inclinat oleas. Deſciuiſse à communi omnium arbitrio credendus eſt quisquis Te MATREM PATRIÆ non agnoſcit. Agnoſcis enim Polonæ LIBERTATIS verè liberos: vt Liberos habitura. Nequaquam in Deorum familias irrupit, cùm Te Matrem Patriæ dixit. quanquam nec ſi Te Regni Numen vocauerit, Numinis integritati derogabit. Superuecta naturam Virtus Nobiliſsima Diuinitatis portio eſt; Regumque effata Regnorum cenſentur oracula. Non ſola bellorum fulmina Diuinum Regibus inducunt Nomen. Princeps Legum Æquitas & moderatior Animus, egregiæ diuinitatis notæ. Alios quidem vetuſti generis longè deductum agmen, ambitioſo faſtu fabuloſos inter Numinum faſtos pertraxit, alios furor: ne aliundè quæreretur amentiæ ſignum in Furias decreuerunt. Æquiùs Tibi Diuinam attribuerim indolem, cui non exſangues colubri diſcerpto ore demurmurant victorias, ſed alia non humanæ æſtimationis iudicia obtigerunt, poſtquam cælo Sarmatico ſucceſsiſti. Solem Tibi coronatus vertex, aſtra, Senatus, Zonam exprimunt balthei militares. Transfuſa in Te ſunt Regum Reginarumque Numina, in quorum & ſceptra & virtutes tranſiiſti. Superas maiorem ſuo tumulo Vandam Principem, cui patrocinatus Viſtula vitam hauſit, vt non demerſam fluctibus gloriam affunderet. Dignam ſuo nomine Conſtantiam, & ſolio æquas & animo: quæ Tibi eam quâ nominis magnitudinem immortalitate comparauit, reliquit ad Honorem. Errare naturam dixerit non nemo, quòd muliebres Animos Virili obarmet fortitudine. Nequaquam hic in Sarmatiæ Reginas error cadit. Bellatori Populo Camillas conuenit

imperare

imperare. Imbellem nemo obtrudat, vbi nihil non ad prælia adolescit. Si Europeos recordaris Alcidas, verè memores reliquit annos ille trophæorum erector, non aliis ad superos prouectus, quàm quæ sibi erexerat triplicibus columnarum signis. Meminit illa Regni supercilia STEPHANOS & AVGVSTOS, meminit Pacifica Polonia, quos armata suspexerat SIGISMVNDOS, sed quoniam sepulchris Virtus non obruitur, fortunatiorem eo RENATAM quòd in Te superstitem se reliquerit. Cuius nunc Regali super Mausolæo, qui anteà vocem exhauserat, mitigatus iam dolor Heroicas ducit lineas, vt dum sublimes LVDOVICÆ eriguntur moles, & CÆCILIÆ coronati Manes triumphent in memoria subditorum.

Occidis ante diem spes intercisa Tuorum,
Occidis! ah nimium consortia nubilis Agni
Accelerans Diuûm Quibus ignea lingua Cometes
Varsauios inter præluxit pronubus ignes
Fax nostro funesta solo, sed debita pulchræ
Prodroma virtuti, vel mentis Eous apertæ,
Non mutus Regum Cinis est? hæc funera Regni
Vulnera sunt, grauiusq; grauem trahit Vrna ruinam.
Intereà ne quid Pietas non ausa videri
Possit, & effusis non prodiga censibus. Ipse
Busta locat Lysippus Amor, luctusq; Myronem
Assimilat, Polycletus Honos opera ardua tornat,
Praxitelesq; Dolor, lacrymabile Mausolæum
Stare iubet. Scopulis tripliciq; perennius ære
Phidiaci supplente fide monumenta laboris,
Funereæ iuga celsa pyræ, cæloq; propinquos
Pyramidum fastûs. Te vectigalia nec dum
Regna satis fleuêre: satis non Austria luxit
Dotales duplicans lacrymas. Quin Manibus altis
Viua parentalem persoluit gloria famam,
Triste sub exemplum Lechiæ sua damna querentis.

Ad triumphalem Tuam Inaugurata Maiestas aciem iterùm anhela deuoluitur oratio, verita ne lamentis plausum violet. Quanquã felicitas Tua è planctu plausum excitat; nec vulgaris lætitiæ alimenta sunt lacrymæ. Intelligit Pacificator mundi VLADISLAVS restitui vberiùs quàm eripi fortunam, dum Te sui facit Consortem diadematis, magno vtique Pompeio maior, qui supplici Tigranis capiti abiectum diadema reponi iusserat. Æquè magnificum est & vincere Reges, & facere Templa inter & Aras, non pretium Religionis vt Siculus ille detractâ Ioui Olympio veste diminuis, sed auges, pretio non

aliundè petito, quàm à Corona VLADISLAI. Regem dixi, Domi Purpurâ cæde hostium quàm conchyliorum clariore, Bellis thorace, apud exteros leonum exuuiis decorum. Inuictis quidem Mentibus impar ea chlamys: sæpè enim timidis leporibus lusum dedit, quos in ore ludentes gestârat leo, aut gladiatoria prostratus occubuit in arena. Attamen vbi hosti desunt spolia, detrahenda sunt belluis. Quæ Regũ fortissimus tunc detraxit, cũ æstiuo leone solis curricula moderâte Vltrà Tyrã castra iecisset cõpedes barbariæ iniecturus? Dignus cui Veneti supplicarent Leones, perculsumque pelagus lacertosæ quia sibi incumbentis Venetiæ curam imponeret. Audaciùs cæteræ gentes minora velut Numina antè Tuos proruent vultus Europæ Seruator; quandoquidem (ore veterum loquor) Tuam opem Nereus implorauit. Vt nihil non plenum Tui nominis Gloriâ relinquas; mari opẽ non denegas. Impleuisti iam graue Zolkieuiis, Chodkieuiciis Chmieleciis cælum. Stygi etiam hostiles ad terrorem obtrusisti hostias, nunc metu Tuo pontus tumultuatur, famæ Tuæ adsultat Adria, Vela, remique non satisfaciunt excurrenti, nec triremibus nec freto capitur, latiùs exundat, quia Tibi Tuæque nauigat LVDOVICÆ. Pergite Ionium vltrà Arabiumque mare properantibus gloriæ, carinis, Reges Augustissimi. Euxinum & Balthicum Vos non capit. Mitescent barbaræ vrbes cum vos adspexerint, Et elingues in cinere Athenæ erudientur. Extrà Orphei fabulam siluestres Populi Vestræ applausum debebunt citharæ Clementiâ quàm fidibus temperatiori. Gratiis etiamnum Platonem. naturâ Stagiritam, moribus Socraticæ seueritatis Viros lacessitis. Nulla ars, nulla disciplina, non Vberem de Vobis disceptandi materiam habet, solius Poëseos & Eloquentiæ ea sors est, vt illa ne fingendo quidem possit Vobis concolores proponere Heroas: hæc Vestræ impar magnitudini procumbat, dignè peroratura postquam adorauerit Maiestatem.

Refloresce sub floridâ Principe
Flos POLONE.
Non damus plenis Manibus LILIA
Sed accipimus.
Mutarûnt quidem solum sed vt solium inuenirent
Labori inassueta

Campum

Campum diligunt LIBERTATIS
Considerate agri LILIA!
Vt, nisi publicæ vtilitati, non laborant.
Neq; nent aliud, quàm stamina Faustitatis.
Frustra CÆCILIA RENATA
NACTA fueras ÆREA LICIA Anagramma
Cesserunt parco pollici Parcarum.
SED
ASSVME ANIMOS POLONIA
Fecundum CÆCILIÆ Bustum est
De quo Ales enascitur GONZAGANA.
Et mirabimur
Fortes creari Fortibus?
Dum & Aquilis Aquilæ recreantur.
Facessat à nostra Principe
Erratica vis Fatorum.
Cumanis haud eget Sibyllis MANTVANA. Mantuanus 6. Æneid.
Absq; Ramo Aureo
Ad POMVM AVREVM peruentura.
Pergat Columbarum ductu Dux Troianus,
GONZAGARVM AQVILÆ
Nec à Cælo exerrant nec à Sceptro,
Astris ALOYSIVM
Regnis importarûnt LVDOVICAM.

Obseruet ille Genethliacus augur Aquilas

Philipp. Maced. Suos & Nostræ portendunt ALEXANDROS.

Pellite Romani Anseres Capitolio.

Aquilæ custodes Corporis S. Stanis. Mart. Sopitis illi obstrepunt, hæ aduigilant & extinctis.

Securè obdormiscit Maiestas

Vbi Reges Alitum Regni excubant in Salutem.

Vehatur Lyncibus Ariadna,

Tu remigio AQVILARVM:

Nisi malis prouehi fide Cælitum ad Coronam.

PROGREDERE

Per tot discrimina Trophæorum

In Latium SPEI PVBLICÆ.

ASCENDE

Per Seruilia barbarorum Capita

Capitolium Libertatis.

Tritam Gloriæ passibus Viam carpe

Ad Solium non errabis.

Compendium Seculorum VLADISLAVS,

Compendiosos decorum calles pandit.

NOS INTERIM

Dum Heròica Regum Poloñ. relegimus Vestigia

Et Tua incipimus numerare.



